VOTA, ET MOTIVA REGIÆ AVDIENTIÆ A PROCESSV FRANCISCI CASAJVS.

SVPER APPREHENSIONE LOCI DE Bierlas.

IN DEI NOMINE, AMEN: Noverint vniversi, quod anno â Nativitate Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, die vero quæ computabatur trigesima, mẽsis Septembris, apud Civitatem Cæsaraugustæ, Regni Aragonum; & in Camera Regij Consilij Civilis dicti Regni intervenerunt Magnifici Domini Doctores Gregorius Xulve, Regens Cancellariam, Petrus Cavero, Franciscus Clemens Soriano, Petrus Antonius Alegre, & Carolus Bueno, & Piedrafita, Regij Consiliarij, corã quibus fuit positus *Processus Francisci Casajus, super apprehẽsione*, in quo dictus Dominus Doctor Franciscus Clemens Soriano Relator, præmissa relatione facta per eum, & cœteri Domini de dicto Regio Consilio, nec non dictus Dominus Regens concordes fuerunt voti, & opinionis, quod att. cont. &c. tenetur, & debet pronuntiare, & in

bonis in fine appellitus confrontatis mandat fieri contenta in propositione Emmanuelis de Secanilla, Militis Ordinis Sancti Ioannis, principalis Martini Ondeano Procuratoris, vita Gasparis de Berayz, & Villalon, durante tantum cum expensis iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta in propositione secunda Didaci Hiacynti de Arguedas, principalis Petri Matthæi de Escurpi Procuratoris, cum expensis iuribus suis durãtibus: Et eis finitis contenta in propositione prima eiusdẽ, pro pensionibus decursis censualium, sub diebus vigesima Maij, & prima Novembris impositorũ cum expẽsis in Processibus Ioachini Colau, Domnæ Hypolitæ de Aragon, & in præsenti factis iuribus suis durantibus: Et eis finitis cõtenta in propositionibus Abbatissæ Monialium, & Conventus Purissimæ Conceptionis Villæ de Agreda, & Francisci Antonij de Echarre, & Guandia, principalium Ioannis Francisci del Rio, Procuratoris respective oblatis, in vim duorum censualium, sub die octava Februarij impositorum, cum expensis in Processibus Petri Hieronymi la Raga, Ioachini Colau, Domnæ Hypolitæ de Aragõ, & in præsenti factis: Et in simul contenta in propositione Petri Iordan Presbyteri, principalis Iosephi Costran Procuratoris, pro pensionibus decursis ex die trigesima prima Octobris, anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti, qua fuerunt facta præconia foralia in Processu Domnæ Hypolitæ de Arogon in præsenti exhibito cum expẽsis iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta

in propoſitione dicti Frãciſci Antonij de Echarre reſpectu aliorũ cenſualiũ cũ expenſis in eiſdẽProceſsibus factis,iuribus ſuis durãtibus:Et eis finitis cõtenta in propoſitione Marci Antonij Purujoſa, principalis Petri Garcia Lorente , Procuratoris, pro viginti novẽ penſionibus decurſis, vſq; ad diẽ oblationis propoſitionis,tantũ,& iuxta Foralẽ reductionẽ,vſq;ad annũ milleſimũ ſexcẽteſimũ quadrageſimum ſextum, & pro decurſis lite durante, cum expenſis iuribus ſuis durantibus:Et eis finitis contenta in propoſitione Hieronymæ Berdũ, Ioſephi Antonij Colau , & Doctoris Iacobi Colau principalium Ioſephi Navarro,&Vela Procuratoris,pro penſionibus cenſualium ſub die decima Marcij impoſitorum , & iuxta Foralem reductionem,cum expenſis in dictis proceſsibus Ioachini Colau Domnæ Hypolitæ de Aragon , & in præſenti factis iuribus ſuis durantibus:Et eis finitis contenta in propoſitionibus dictorum Hieronymæ Berdun,Ioſephi , & Iacobi Colau pro viginti,& novem penſionibus cenſualis,ſub die trigeſima Marcij impoſiti decurſis , vſque ad diem oblationis propoſitionis,& lite durante , & iuxta Foralem reductionem,cum expenſis in præſenti factis, & Franciſci Caſajus, principalis Ignatij de Pontac Procuratoris, cum expenſis in proceſſu Ioachini Colau,& in præſenti factis,& iuxta Foralem reductionem,& Ioſephi Bardaxi , & Thereſiæ Iñigo de Alordi coniugum principalium eiuſdem Pontac Procuratoris, pro penſionibus decurſis ex dicta die trigeſima prima Octobris,

an-

anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti, cum expensis in præsenti factis, & cum prælatione dicti Francisci Casajus respectu pensionum Iosephi Bardaxi, & Theresiæ Iñigo iuribus suis durantibus: Et eis finitis in bonis numeri secundi contenta in propositione Frãciscæ de Ciria principalis Iosephi Navarro, & Vela Procuratoris, pro pensionibus decursis cẽsualis exhibiti, & iuxta Foralem reductionem, cum expensis in dictis processibus Ioachini Colau, Domnæ Hypolitæ de Aragon, & in præsenti factis, iuribus suis durantibus; Et eis finitis in omnibus bonis apprehẽsis, contenta in propositione Don Fœlicis de Palafox principalis Georgij Vincencij Costa, Procuratoris, pro pẽsionibus decursis ex dicta die trigesima prima Octobris anni millesimi sexcẽtesimi quinquagesimi sexti, cum expensis in præsenti factis, iuribus suis durantibus: Et eis finitis contẽta in propositione Ioannæ Mariæ Sangil, & Ignacij la Iusticia eius filij, principalium Francisci Didaci Panzano Procuratoris, pro pensionibus decursis censualis exhibiti, & iuxta Foralem reductionem cum expensis in processibus Martini Ludovici de Vlleta, Ioachini Colau, Domnæ Hippolitæ de Aragon, & in præsenti factis, deducto valore quantitatis tritici, & ordei recepti, per Petrum Perez de Alaba cuius ius, & causam habent ratione pensionum pro quibus fuit eius propositio recepta, in dicto Processu Martini Ludovici de Vlleta, iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta in propositione Domnæ Ioanne Fernan-

nandez de Heredia, & Michaelis Fernãdez de Soto eius filij, principalium Vincentij del Plano Procuratoris, pro pēsionibus decursis, ex dicta die trigesima prima Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti, cum expensis in præsenti factis, iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta in prima propositione dicti Didaci de Arguedas, pro pensionibus censualis, sub die nona Septembris impositi, cum expensis in processibus Ioachini Colau, Domnæ Hypolitæ de Aragon, & in præsenti factis, iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta, in dicta propositione Hieronymæ Berdum Iosephi, & Ioachini Colau, pro viginti, & novem pensionibus censualis impositi, sub die duodecima Novembris decursis, vsque ad diem oblationis propositionis, & iuxta foralem reductionem, & pro decursis lite durante cū expēsis in præsenti factis, & respectu aliorum censualium pro pensionibus decursis, & iuxta foralem reductionem, vsque ad annum millesimum sexcentesimum quadragesimum sextum, cum expensis in dictis processibus Ioachini Colau, Domnæ Hypolitæ de Aragon, & in præsenti factis, iuribus suis durantibus: Et eis finitis contenta in propositione Illustris D. Iosephi Enriquez de Navarra, Funes, & Villalpando Marchionis de Ossera, principalis Vincentij del Plano Procuratoris, præstita prius respectivê cautione forali, cæteris propositionibus repulsis reservatis iuribus reservari suplicantibus, neutram in expensis dēptis prædictis taxandis condemnando, cætera supplicata locum non

habere. Ex eo, & aliâs primo loco recipiuntur propositiones creditorum censualium, pro pensionibus decursis, & debitis ordine in sententia præscripto, nam quamvis bona apprehensa perpetuo maioratui, & fideicommisso subiecta reperiantur in scriptura exhibita, inveterata tamẽ huius Regni praxis (quidquid de iure procedat) induxit vt in Villis, & Locis fideicommisso suppositis, si in illorum formatione intervenerit possessor maioratus vna cum Concilio, & Vniversitate Loci, debeant creditores censualium in articulo litispendentiæ obtinere, non solum respectu bonorum Vniversitatis, & vicinorum illius, sed etiam respectu dominicaturæ taliter, quod sucessores nequeãt talem impositionem infringere etiam si in scriptura maioratus, sint bona prohibita alienari, & cũ in præsenti constiterit informatione censuum exhibitorum, tam Don Melchiorem Enriquez de Navarra, tunc temporis Dominum Loci de Bierlas, quam Concilium, & Vniversitatem illius, intervenisse, & in instrumentis solitas reperiri clausulas ad obtinendum in hoc iudicio, dicendum venit prædictas propositiones creditorum, qui suas inclusiones legitime probarunt fore, & esse recipiendas; vt ex fructibus ex bonis apprehensis resultantibus, servato cuique suo gradu satisfiat. Sine præiudicio verô dictorum creditorum recipitur propositio Illustris Don Iosephi Enriquez de la Carra, & Navarra, Funes, & Villalpando Marchionis de Ossera, & mandatur eidem possessio bonorum apprehensorum traddi, de cuius inclu-

sio-

sione legitime constat, prænotando succesionem horum bonorum nimirum Loci de Bierlas principaliter metiendam, & regulandam fore iuxta vocationes ac vincula apposita in pactis nuptialibus, Dō Ludovici Enriquez de la Carra, & Domnæ Ioannæ de Navarra, sub die quinto Augusti, anni millesimi quatuorcentesimi quadragesimi septimi confectis, dum Don Bertrandus Enriquez, & Domna Ælisabeta Fojan, conjuges Domini, & possessores Villæ de Ablitas, Loci de Bierlas, & aliorum Locorum in Regnis Aragonum, & Navarræ existentium, illa donarunt Ludovico filio, maioratum perpetuum constituendo, vocando post mortem Beltrandi Ludovicum, & eius filios, & descendentes in perpetuum, sub illis verbis: *Et de ay adelante haya de ir el dicho Mayorio de fillorio a fillorio a perpetuo*, masculos fœminis in cōcursu præferendo, & providendo quod si secūdas nuptias contraheret Ludovicus filius, etiam fœminæ prioris matrimonij præcederent masculis secundi, aliaq; diversa pacta circa delationē nominis, & armorū, prohibitionē alienationis, & similia fuerūt adiecta. Deinde præsuponitur per legitimos tramites huius maioratus succesionē ad D. Philippum Enriquez de Navarra, Bertrādi quartū nepotem devenisse, qui ex matrimonio contracto cum Domna Maria Anna de Luna, Comitum de Morata filia, quatuor hoc ordine filios, Annam, Melchiorem, Balthasarem, & Marianam procreavit: Et ex secūdis nuptijs cum Domna Maria de Ezpeleta, Antonium, & Lupertiā suscepit; Melchior

post

post obitum parentis successit, & eo decedente sine vlla prôle, & in vita sua Balthasare fratre, superstite Michaele Francisco filio, inter istum, & Antonium Patruum contraversum fuit in Regio Navarræ Consilio de successione istius Maioratus, & fuit pro nepote sententia pronuntiata Domna Anna nupsit Magnifico Michaeli Climente in Supremo Coronæ Aragonum Cõsilio, Protonotario, & habuit Mariam Enriquez Climente, quæ ex matrimonio contracto cum Marquione de Offera Don Ioanne de Villalpando, D. Franciscum, & Don Iosephum, filios suscepit; Michael Franciscus, qui in Regio Senatu Navarræ obtinuerat decesit in infantili ætate, superstitibus Antonio eius patruo, & Domna Maria Climente eius amitæ filiâ, inter quos denuo de successione istius Maioratus fuit lis mota: Et ea indecissa existente Don Antonius nullis liberis relictis decessit, ac deinde Domna Maria Climente superstitibus Francisco, & Iosepho filijs, ac demũ Don Franciscus superstite Iosepho fratre, sine vlla prole obijt. Domna Lupercia nupsit, Dõ Petro de Alaba, & habuit Franciscum, Didacum, & Gasparem filios, qui propter mortem Antonij avunculi, fuerunt illam litem prosecuti, & in Regio Navarræ Senatu, adversus Marchionem Don Franciscum, Victoriam reportarunt. Sed cum postea ad instantiam cuiusdam creditoris fuerit per hanc Regiam Audientiam locus de Bierlas apprehensus, possessionem, & dominium illius contendunt Marquio Don Iosephus nepos Domnæ

An-

Annæ filiæ primogenitæ, & Egregius Comes D. Gaſpar Enriquez de la Carra & Alaba, filius Dónæ Luperciæ ſextogenitæ, ille prioritate lineæ, iſte proximitate gradus, tamquam vno gradu proximior vinculanti, ac etiã vltimo Maioratus poſſeſſori, in qua quæſtione, quæ tot clariſsimorũ virorũ ingenia mirũ in modũ extorſit, Marquionis D. Ioſephi potentius ius eſſe cẽſemus, cũ proximitas gradus, ac maioria, qua Don Gaſpar eius nepotem Don Ioſephum excludere contendit, minime atendatur, quando iſte in linea primogenitorum reperitur, quæ ſemper ac præcipuê eſt atẽdenda, & iuxta illius prærrogativam ſuccesſio deribanda. Et preſuponitur Maioratum conſtitutũ in pactis nuptialibus Ludovici regularem eſſe, nã prælatio maſculorum, & quod eis deficientibus in eorũ locum fœmina primogenita ſubrrogetur, non immutat naturã Maioratus regularis, in quo quatuor obſervantur, nempe linea, gradus, ſexus, & ætas, & hoc ordine interſe præferuntur, & ideo communiter dicitur gradum non attendi, niſi in linea, nec ſexum, niſi in gradu; quoniam proximitas gradus, vel ſexus prærrogativa tantum in eadem linea conſideratur. Ex qua prælatione lineę reſultat, quod quando ſucceſsio ad vnam lineam devenit, dum de illa aliquis ſucceſsionis capax reperitur, non fit tranſitus ad alias, quamvis in eis, alter proximior in gradu reperiatur, cum voluntas inſtituentis Maioratum, præferendo filiũ Primogenitum, omnes ab eo deſcendentes prætuliſſe credatur, & quandiu ſupereſt aliquis de linea præ

lata,cõſtitutis in alijs lineis locus eſſe nequit, quia tacite videntur excluſi. Et quamvis omnes filij Don Philippi in eadem linea contentiva,reſpectu parentis reperiantur, quilibet tamen ſuam peculiarem,ſeu ſub alternam lineam reſpectu ſuorum deſcendentium produxit, quæ in defectum alterius, quæ præcedit, ſubrrogetur ſuo ordine in Primogenitura, nam Primogenitus primum caput in linea deſcendentium efficit, Secundogenitus autem ſecundum conſtituit, & ſic de vlterioribus,vt eo ordine filij ad Maïoratus ſucceſsionem admitendi ſint,ad inſtar edicti Prætoris de bonorum poſſeſsione,ita vt dum aliquis ex primo capite ſupererit,nullus ex ſecundo capite in Maioratu ſuccedere poſsit,nam Primogenitus naſcendo, ſe & omnes ſuos deſcendentes,in infinitum incluſſit,cum excluſsione Secundogeniti, & vlteriorũ, eius vero linea extincta,ad Secundogeniti lineam devoluitur ſucceſsio,nam reſpectu vlteriorum cõſideratur linea Primogenita, & ſic poſt mortem Philippi,fuit Melchior filius Primogenitus ad maioratum invitatus, & eo ſine vlla prole decedente, & præmortuo Balthaſare fratre,non ad Antonium Tertiogenitum,ſed ad Michaelem,Franciſcum, Balthaſaris filium devoluta fuit ſucceſsio Maioratus ex cenſura Regij Senatus Navarræ,nã & ſi Antonius frater, proximior eſſet in gradu Melchiori decedenti,quia tamen Michael, Franciſcus reperiebatur in priori linea (licet non fuerat in ipſo,vel eius patre Balthaſare,ſpes certa, & invariabilis ſuccedendi,aliter quã eius morte, cũ

per

per existentiam filiorum Melchioris, illius spes etiã excluderetur) extincta tamẽ linea Primogeniti, fuit ad illam successio devoluta, quoniam tunc non tam attẽditur persona proximior vltimi possessoris, quam linea proximior, & in ea prioritas gradus, defert successionem. Similiter per obitum Michaelis Francisci, in infantili ætate, ad Antonium patruum, & tertiogenitum fuit delata successio maioratus, quo demum decedente sine liberis, & sic finitis lineis masculorum, in earum defectum, lineæ fœminarum, & prius Domnæ Annæ primogenitæ, debent subrrogari, nam quamvis ipsa cum extabant masculi eiusdem lineæ, & gradus, ad instar secundi gradus reputaretur, illorum tamen lineis extinctis, ipsius linea ad successionem invitatur; nam eius exclusio perpetua non fuit, sed tantum ad tempus, dum masculi existerent, vnde amoto impedimento, retrogradatio fieri debet ad lineam Domnæ Annæ, & sicut ipsa si viveret tempore quo defertur successio, per obitum masculorum, succedere deberet, ita, & Marchio eius nepos primum locum debet obtinere in successione, antequam vlteriores aliarum linearum, qui, & si gradu proximiores sint, deficit illis qualitas lineæ prædilectæ nam filia primogenita cum nascitur sibi, & suis ius in habitu, & in spe adquisivit, cum exclusione descendentium aliarum linearum, quia non advenit casus vocationis illarum. Huius autem lineæ prerrogativa suadetur etiam alia consideratione, nam cum in maioratibus perpetuis, tot sint vocationes, seu substitutio-

nes, quot personæ vocatæ suis casibus, ideo linea rectà primogenitorum vocata censetur successivê, de primogenito in primogenitum, vt in nostro casu dicitur, *aya de ir el dicho mayorio de fillorio a fillorio a perpetuo: Et ibi, que la creatura mayor aya de heredar, & herede el dicho mayorio*, & sic ex propria vocatione absque iuris alterius transmissione, sub vocatione primogeniti, non solum filius, sed nepos, & omnes primogeniti ex eo descendentes, in perpetuum vocati esse intelliguntur, non tam repræsentationis iure, quam propriæ vocationis, & sic Don Iosephus iure proprio ad successionem maioratus invitatur, cum nepos sit Domnæ Annæ filiæ primogenitæ, antequam descendentes aliarum linearum. Quibus omnibus iungi debet, quod communiter dicitur, in maioratibus, post decisiones legum repræsentationem concedentium, de proximitate gradus curandum non esse, sed de prioritate lineæ respectu eorum â quibus descendunt, cum satis sit, quod filius, vel nepos ab eo descendat, qui si viveret, tunc esset successurus, etiam si in eo ius firmiter radicatum non sit, sed potentialiter tantum de futuro, & in spe consistens, & sic quemadmodum si tempore delatæ successionis, per mortem D. Antonij concurrerent Domna Anna, & Domna Lupercia deberet illa vti primogenita prævalere, similiter, & eius nepos Don Iosephus, cum ab ea descendat, quæ si viveret tunc, esset successura, etiam si in eius vita, ius firmiter radicatum non habuerit. Quibus ita præhabitis non adversabuntur exceptiones, quæ

pro

pro parte Comitis opponuntur adversus Marchionem, ne illius propositio in hoc articulo recipiatur, & in primis, quod cum in Regno Navarræ maior pars bonorum, & caput maioratus nimirũ Villa de Ablitas resideat, debet sententia in hoc Senatu ferenda, iuxta alias in favorem Comitis Latas in Regio Consilio Navarræ, pronunciari, ne vnica, & individua constituentis voluntas, quæ vni ex contemplatis integra bona deferri iussit, duorum Senatuum censura dividatur. Respondetur enim, quod quamvis de omnibus bonis maioratus in eadem Provincia, sive Regno constitutis, licet in diversis iurisdictionibus, possit in vna earum, vel vbi maior pars bonorum est, vel caput Maioratus residet, sententia pronuntiari, secus tamen est, quando bona existunt in Regnis separatis, quæ, & si fœliciter, sub eiusdem Domini Regis potestate, & gubernio reperiantur, suam tamẽ naturam, & separationem retinent, sicut quando diversis principibus, sive Regibus gubernabãtur, vt accidit in hac Aragonũ Corona, nam tunc de bonis extra propriã ditionẽ consistentibus, nequit alia Regia Cancellaria censurã interponere, & cõsequenter sententiæ Senatus Navarræ tantũ in bonis, ibidẽ existentibus influere possunt, & intra eorum limites circunscribi. Nec obstat, quod si diversæ sentẽtiæ proferantur diversũ quælibet successore eliget, contra individuã Maioratus naturã, & instituentis voluntatẽ, nam id ex accidenti provenit, cum institutor Maioratos efficere nõ possit, vt iurisdictio quæ ratione rei sitæ cõpetit vni Iudici,

 in

in alium, in præiudicium totius territorij, & Supremæ Principis poteſtatis transferatur. Similiter eliditur exceptio rei iudicatæ ex Proceſsibus Martini Ludovici de Vlleta, & Alberti Perez de Suelves prætenſa, quatenus in illis obtinuit in hac Regia Audientia Don Gaſpar Enriquez in bonis apprehenſis, nam illę ſententiæ non fuerunt pronũtiatæ ex meritis iuſtitiæ originalis, nimirũ ſcripturæ Maioratus in præſenti exhibitæ, ſed ex conſenſu præſtito à tutore Don Frãciſci, fratris Marchionis Don Ioſephi, dum omnis poſſeſsio bonorum in Aragonia conſiſtentium, fuit translata in favorem illius, qui in Regno Navarræ Conſilio ſententiam reportaret; & cum ſententia lata fuiſſet in favorem Don Didaci, cuius inſtantias Don Gaſpar aſſumpſit, purificata fuit conditio, dicti cõſenſus, & in eum translata illa poſſeſsio, ad obtinẽdum in illis iudicijs poſſeſſorijs, quod non potuit inferre præiudicium Don Ioſepho, qui iure proprio ſucceſsionem contendit, & ex propria vocatione adeſt ad Maioratum invitatus; & quamvis fuit hæres fratris inſtitutus, eius tamen hæreditatem varijs proteſtationibus admiſsit, vt vocationibus, ex Maioratibus competentibus, nullum poſſet præiudicium irrogari. Nec magis adverſatur, quod dicitur, non poſſe Marchionem obtinere in hoc iudicio poſſeſſorio, cum poſſeſsione propria deſtitutus ſit, nec poſsit ſe iubare poſſeſsione fratris prædeceſſoris ſui, quam non habuit; nam facile ſatisfit ſuponendo, quod in Aragonia (quidquid de iure ſit) poſſeſsio inſtituentis Maioratum,

vel fideicommissum, fori ministerio in omnes fideicommissarios transfertur, nam accipiuntur bona a primo institutore, cuius possessio prodest successoribus, & cum probata fuerit possessio Bertrãdi primi vinculantis, si de inclusione, & vocatione Marchionis constiterit ad fideicommissum, poterit in hoc articulo illius propositio recipi. Nec adversus censuram interpositam obstabunt, quæ pro parte Comitis, ad excludendam vocationem Marchionis expenduntur, & in primis quod dicitur per mortem Don Antonij, quem vltimũ possessorem Maioratus constituunt, delatã fuisse successionem Don Francisco de Alaba, fratri maiori Comitis; & filio Domnæ Lupérciæ Sororis vtrinque coniunctæ; vti proximiori duplicitate Vinculi vltimo possessori, & sic præferendum omnibus descendentibus ex linea Domnæ Annæ Sororis consanguineæ tantum. Respondetur enim, quod in Maioratibus succeditur primo institutori, & bona apprehensa fuerũt Bertrãdi, cuius affectus æqualiter versatur ad singulos filios D. Philippi, & quamvis in altero ex eis duæ qualitates concurrant, quia tamen altera ipsarum est impertinens, non auget succedendi effectum, & si duplex vinculum attendi deberet, succedere debuisset per mortem D. Michaelis Francisci, Dõna Maria Climente, mater Marchionis, cũ ea fuisset vtrinque coniuncta vltimo possessori, & non Don Antonius eius patruus, vt pro parte Comitis suponitur. Dicitur deinde prælationem lineæ non posse in hoc casu Marchioni competere; nam ad

hoc

hoc vt prælationem habeat, & ab ea deſcendentes præferantur, neceſſarium eſt, vt caput lineæ ſucceſsionem ocupaverit, vel ſaltim habuerit ius formatum, & radicatum propter certam, & immutabilem ſpem ſuccedendi, niſi mors eidem contigiſſet; ſicque duas lineas tantum habere prælationem, illam, in qua actualis ſucceſsio reperitur, & alteram filij primogeniti, quando de ſucceſsione avi contenditur (quaſi ſecus ſit, ſi de ſucceſsione alicuius tranſverſalis, tunc enim magis proximitatem erga vltimum poſſeſſorem preferēdam fore, quam prioritatis lineæ qualitatem) & cum Domna Anna quamvis ordine naſcendi fuerit primogenita, fuit tamen â fratribus excluſa, in quibus civilis primogenitura cōſideratur, ſicque illius excluſio â primogenitura effecit, vt ab ea deſcendentes, non poſint ex prelatione lineę excluſę, ſucceſsionem contendere, ſed tantum proximitate gradus, ſe poſsint iubare. Reſpondetur tamen, quod quamvis Domna Anna per nativitatem ſuorum fratrum, fuerit â primogenitura excluſa, eius tamen excluſio perpetua non fuit, ſed tantum ſuſpenſa, & veluti obdormijt, dum maſculi exiſtebant, ſicque illorum lineis finitis ad hanc devolvitur ſucceſsio, abſque eo, quod quidquam de primogenitura, eiuſque effectibus minuere poſſit conſideratio illa proximę vel remotæ ſpei ſuccedēdi, qua carere vlteriores tranſverſales pro parte Comitis contenditur, æqualiter enim eos operatur, ac ſuo caſu adveniente producit primogenitura contemplata in illis, qua propter idem iudi-

can-

candum de potentia ad actum redacta, ac de ipso actu, ex eodem enim fonte, vna ſicut alia derivatur, & quamvis primogenitura naturalis Domnę Annæ contra maſculos, & eius deſcendentes opperari nequeat, opperatur tamen contra fœminas minores natu, & ab ea deſcēdētes, cū quilibet deſcendens ex ſtipite illius qui invitatus eſt, reſpectu ſuorum deſcendentium, propriam conſtituat lineam, & qui de altera remotiori ſit, admitti nequeat, donec ſuperſit aliquis ex altera proximiori, nam ſufficit quod qualitas primogenituræ, excluſiva ſecundogenitorum verificetur, vel verificari poſsit aliquo tempore, ſaltim ſpe, & potentia, quāvis ſit remota, & incerta, vt filius, vel nepos illius, qui ſi viveret tunc eſſet ſucceſurus, ad maioratum invitetur; & ſicut Domna Anna ſi viveret tempore quo defertur ſucceſsio, per obitum maſculorum, præcedere deberet Domnæ Lupertiæ, & eius deſcendentibus, ita, & eius nepos primum locum obtinet in ſucceſsione, cum ab ea deſcendat, quæ ſi viveret tunc, eſſet ſucceſura. Nec obſtabit tempore delatæ ſucceſsionis Domnā Annā prædeciſſe, & ad ſucceſsionem Maioratus concurriſſe Dōnam Mariam eius filiam, & matrem Marchionis, & Don Franciſcum de Alaba filium Domnæ Luperciæ, quem vti maſculum præferendum fuiſſe, cum in pari gradu fœminis præferantur. Reſpondetur enim, quod cum iſte Maioratus regularis ſit, prælatio maſculorum intelligi debet in eadem linea, ſi enim maſculus eſt in diverſa linea, & fœmi-

na

na in admissa; non admittitur ille; sed præfertur fœmina, & quamvis Maioratus esset simplicis masculinitatis, non esset delata succesio D. Francisco de Alaba, nam etiam tunc aderat Don Franciscus Hiacyntus frater Marchionis, qui propria masculinitate, & prælatione lineæ alterum D. Franciscum excludere deberet; neque tunc adversabitur, quod ab Advocatis Comitis, valdè ex tollitur, hac prælatione lineæ sic considerata, nunquã prærrogativam gradus, in maioratibus deferre succesionem; nam facile satis fit advertendo, non esse de gradu quæstionẽ inter lineam, & lineã, sed inter plures eiusdem lineæ personas, & sic nil mirum, quod in hypotesi huius litis, cũ diversarũ linearum, cõtendentes sint, nõ posit inter eos gradus dirimere quæstionẽ, quamvis in descendẽtibus ab eadem linea, gradus, sexus, & ætas suo ordine præferantur, & in eis prælationem habentes, ad Maioratum invitentur. Nec demum obstabit quod opponitur repræsentationem in Maioratibus inductam, tam per legem quadragesimã tauri, quam per alias in Regno Navarræ conditas, vbi fuit Maioratus de Ablitas constitutus, non debere ad illum extendi, cum illarum legum prolatione antiquior sit, & lex ad casus præteritos non extendatur. Verum cum illę leges ex veriori Doctorum censura non sint novi iuris inductivæ, sed potius iuris antiqui declaratoriæ, non solum ad futura, sed ad antiquiora primogenia trahi debent, cum iuxta illorum naturam sit, vt in eis succedat pri-

mogenitus,& quod de primogenito in primogenitum semper transeat;qui ordo non solum inter descendentes ab institutore (vt in præsenti) sed etiam inter transversales,eadem ratione servandus est;quia non gradus,sed tantum persona parentis, quo ad qualitatem primogeniturę repræsentatur derivando illam de patre in filium, & de primogenito in primogenitum , cum appellatione illius omnes ab eo descendentes comprehendantur. Ex quibus omnibus resultat exclusio propositionis Comitis de Ablitas,nam & si gradu proximior sit vltimo Maioratus possessori,cum ei deficiat prioritas lineæ,debet Marchio,qui in primogenita reperitur,prius ad Maioratus successionem invitari.Ex prædictis , & aliâs, Att.cont. *Alter verò ex Dominis de dicto Regio Consilio* pro superiorum corroboratione , & vrgentioris fundamenti contrarij satisfactione addidit sequētia. Vis maior,& nervus præcipuus contrarius versatur in neganda linea primogenituræ , quando in capite non fuit radicatum ius succedendi per spem certam actualis successionis,& alias quam per præmorientiam vltimo possessori in variabilem. Afferunt enim quod si solo habitu , seu potentia primogeniti admiterentur , semper linea decideret successionem , & tres aliæ regulæ , & præcipue gradus prærrogativa , omnino a regulis successionis exclussa maneret : Cum in linea recta semper primogenitus sola prerrogativa ætatis cæteros excludat. Ex quibus etiam volunt, quod quatuor illę

regulæ vulgares locum posʃit practicari in concursu transversalium existentium in linea contētiva parentis communis possessoris: tunc enim illi qui sunt in linea contentiva parentis communis immediati, tamquam de linea vltimi possessoris, qui diversas lineas sub se, vel sua contētas effecit, præferuntur descendentibus ex alio parente communi superiori, etiam possessore, quamvis gradu vltimo possessori proximioribus ex prærogativa lineæ contentivę immediatę, & inter ipsos, & omnes ex hac linea contentiva immediata procedentes, quamvis in diversis lineis contentis existētes: tunc quæritur gradus vltimo possessori proximior, nulla de lineis sub contentiva contentis ratione habita. Quæ omnia ratione, & juridico fundamento destituta censemus distinctionem; enim illam inter spem proximam, & remotā inter contemplatos cōsideratam; si verum amamus nihili habendam censemus: Sufficit siquidem quælibet conditio pendens à futuro eventu contingēti, vt ius illud, sive spes actualis successionis sit incerta variabilis, & mutabilis; & eo ipso quod præmorientiæ subijcitur, iam incerta variabilis, & mutabilis omnino, & propriè dicenda venit: per hoc enim quod est pendere ab vnica, duabus, vel pluribus conditionibus, species conditionalis incertę, vel contingentis non mutatur: tritum est enim magis, vel minus speciem non mutare: quod itaque certitudo successionis in primo natu pendeat ex sola supervivencia, in secundo vero ex eadem,

dem,

dem, & ex præmoriētia fratris sine sobole magis, vel minus in certa, & variabilis dici poterit, vtrāque tamen spem variabilem, & in certam necessario dicimus si propriam eiusdem naturam consideramus. Si vero principiū, vel causam vnde oriūtur inspicimus, illas certas inveniemus, & immutabiles in nostro casu: quia pendent ex dispositione illa pactorum nuptialium iam perfecta, nulloq; futuro contingenti obnoxia: ibi omnes descendentes sunt vocati, & ad successionem invitati suis respective locis, temporibus, & casibus, & omnes secundum originem, & causam spem habent certam, & in variabilem, sive primi sint, sive secūdi, masculi, vel fœminę, venire vero casus succedēdi, vel non venire in omnibus est in certum: merito, itaque divisio, sive distinctio iuris certi, vel spei in variabilis, & incertæ, vagæ, & variabilis respectu actualis successionis, pro somnio, & ente rationis habetur, & provt, & nos reijcimus communiter repellitur. Hæc quæ dictante natura, & ratione diximus, exempla sequentia confirment. Si distinctio illa ex adverso considerata vera foret, numquam filia primogenita lineam primogenialem, sive successionis efficere posset, si vivente patre, etiam sobole relicta, decederet: quia non ex sola sui præmorientia, sed ex non nativitate fratrum successio penderet, nec etiam filius naturalis, qui relictis filijs ante contractum per patrem matrimoniū, per quē tota proles legitimatur deficit, quia non sola super viventia, sed etiam con-

tractus matrimonij futuri spectari deberet. Nec denique filius secundogenitus, qui relicto filio vivente primogenito obijt: quia non ex sola sui pręmorientia, sed ex non nativitate filiorum primogeniti penderet. Vnde in primo casu filia secundogenita nepotem, vel neptem ex primogenita, in secundo, secundogenitus nepotem ex primo, & in tertio frater tertiogenitus nepotem ex secundo excluderent contra fere omnium receptas sententias, & contra id quod in nostra specie decissum, & observatum vidimus Michael enim filius Balthasaris in vita Melchioris prædefuncti per mortem Melchioris sine filijs Antonium, abunculum ex fratribus tertiogenitum, in gradu potiorem exclusit. Hæc vt evadant, iam non fundant spem invariabilem in sola contingentia præmorientiæ, sed in eo quod primum caput lineæ dum vivit neminem habuit, qui spem retardaret. Hæc tamen evasio distinctionem principalem repellit: fatentur siquidem spem dici certã, & invariabilem, non solum quãdo certitudo actualis successionis ab vnica, sed quando â pluribus pẽdet conditionibus, & quantum hoc â veritate naturali physica, & reali distet, nemo erit qui nõ videat. Ac denique præfatam distinctionem fingũt ad excludendas transmisionem, vel repræsentationem, quas in iure non radicato, & certo negant procedere posse. Cum itaque ex dictis in vtroque distinctionis membro ius certum non sit, sed variabile, sequitur inde distinctionem illam frustra-

neam

neam esse & omnino contẽptibilem: solamque originis certitudinem considerandam, quæ respectu omnium ad successionem vocatorum est eadem, numquam variationi, aut contingentiæ exposita, vt supra diximus. Secunda illa distinctio inter lineas contentivam, & contentam admitendo regulam prælationis in contentivis, non vero in contentis, nec minus resecanda venit, in vniversali enim ab institutore descẽdẽtia, vnica est linea cõtentiva: quia omnes sunt de linea illius: hæc linea contentiva vniversalis comprehendit plures aliâs lineas contentivas sub alternas, quas effecerunt, vel efficere potuerunt illi omnes, qui inter Bertrandum, & Philippum inclusivê inveniuntur ascendentes, & descendentes, parentes communes respectivê: & inqualibet linea contentiva sub alterna, dantur aliæ lineæ contentæ, & non essent contentivę, si aliâs, sub se non haberent lineas: & inqualibet linea contenta reperiuntur plures personæ: quia personæ constituunt lineam simplicem contentam, lineæ simplices lineam contentivam, & lineæ contentivæ, lineam illam vniversalem omnium linearum, & personarum ab institutore procedentium comprehensivam. Cócurrentibus itaque tot lineis, & personis diversis in eisdem, & inter personas sola vna successionis actualis capaci, necessitate ordinis quærenda est hæc persona in linea contenta vltimi possessoris, vt sunt filius, nepos, & eo decedente sine prole, frater vel soror: in horum defectum, iam ad lineam contentivam parentis communis immediati, est recurrendum: sed quia in illa reperiuntur non solum diversæ

per-

personæ, sed lineæ, quærenda est inter illas, ea quę secundum naturam Maioratus, & primogenituræ debet præcedere, & in illa personam prædilectam: deficientibus his lineis contentis recurrendum est ad aliã contentivam immediatam: quemadmodũ igitur inter diversas lineas contentivas, quęrenda est illa, quam effecit proximus immediatus cõmunis parens, qui tanquam inter omnes tunc invitatos primum locum, & successionem obtinuit, & durante illius linea contentiva; quia durant illius descendentes non potest fieri transitus ad aliam cõtentivam â parente suo formatam. Sic similiter inter lineas contentas eiusdem lineæ contentivę prędilectæ, quærenda est linea contenta prædilecta, & dum in ea personæ durant, non potest fieri transitus ad aliam contentam. In nostro casu omnes contendentes sunt de linea contentiva Philippi immediati parentis communis, qui varias effecit lineas contentas: & vnica ratio propter quam non quęritur linea contentiva Antonij patris Philippi ex eo est: quia durante linea contentiva Philippi durant eius descendentes, & qui descendunt forsam ab aliquo illius fratre, & si proximiores vltimo possessori inveniãtur; admitti non possunt. Sic similiter, & ex eadem ratione inter lineas contentas Philippi intra suam contẽtivam inclusis, durante linea Melchioris, non poterat fieri transitus ad lineam Balthasaris, & sic de reliquis. Cum itaque eadem vigeat ratio prælationis inter lineas contentas, ac inter contentivas: quia plures eodem tempore possunt concur-

re-

rere, nec maior ratio, nec diversitas aliqua assignari valeat, idem dicendum necessario venit. Et eo ipso, quod inter lineas contenti vas adversarij prælationem admittendam concedunt, negare nõ possunt eandem inter cõtentas observandam. Nec ex prædictis (vt asserunt) excluditur intra lineã gradus prærogativa, immo necessario quærenda venit, tam in successione per obitum ascendentis, quam transversalis: mortuo enim vltimo possessore relicta filia, & nepote ex eadem, vel mortuo sine filijs relicta sorore, & nepote ex illa, semper filia, vel soror nepotes excluderent, non ratione lineæ, quia in eadem inveniuntur, non ratione sexus, quia deberent nepotes admitti: non ra tione ætatis, quia hæc non consideratur, nisi intra eundem sexum: igitur ratione gradus indubiê. Contendebant in nostra specie Maria Domina de Quinto, & Franciscus Hiacyntus eius filius super hac successione, & filius sine dubio debebat excludi, non ratione lineæ, sexus, nec ætatis ex dictis: igitur ratione gradus. Ex quibus dicendum omnino venit (explosa distinctione spei certæ, & invariabilis, alias quam per præmorientiam, & spei variabilis vagæ, & incertæ, tamquam mere cerebrina, & chimerica) semper esse verum, & certum, eum ad successionem admittendum, qui sit immediatus successor illius, qui si viveret, tempore delatæ successionis successurus esset: quod enim ante delatam successionem secundum varios eventus contigerit, nihili

habendum, & tamquam impertinens omnino reijciendum censemus, vt in prædictis motivis ab omnibus maturê, & cordatê præstitis continetur, & aliâs, Att. cont. &c.

Sig†num mei Alberti Antonij Iubero, Scrivæ Mandati suæ Maiestatis, & in Civitate Cæsaraugustæ domiciliati, qui huiusmodi vota, & motiva à libro motivorum de anno millesimo sexcẽtesimo sexagesimo sexto, vbi continuata existunt extraxi comprobavi, & signavi.